



**T**heodoricus ex illustri familia comitū in Manderschit apud Belgas natus, & in omni genere uirtutum optimè educatus est. Is cum felici ingenio esset prædictus, bonis literis operam dedit, & in ijs plurimū profecit. Huic eruditioni uitæ integritatem & raram prudentiam coniunxit. Itaq; Carolus Imperator hūc Theodoricum plurimū dilexit, & hinc inde ad principes sæpius suum Legatum misit. In ijs locis Theodoricus res sibi commissas singulari facūdia expedituit, & apud omnes principes sibi magnam autoritatem ob uirtutes conciliauit. Cum etiam 1541 Ratisbonæ comitia celebrarentur, & doctorum uirorum colloquium institutum esset, ut de controversiis articulis disceptaretur, Carolus hunc Theodoricum actioni eorum testimonij causa interesse iussit, ut principes ea de re postea instrueret. Deinde quoq; 1547 cum Carolus quasi uictor esset, atq; Hermanno Archiepiscopo Coloniensi deposito Adolphum substituisset, nobilitas & ciuitatum legati consentire noluere. Ne itaq; motus aliquis in patria excitaretur, comitijs Coloniæ habitis, Theodoricus ille & Guilielmus Nuenarius comes, totius nobilitatis primi, ad Hermannum missi. Hi pro sua dexteritate & gratia persuadent Hermanno, ut misericordia populi suo iuri cedat. Id quod ipse benignè præstítit, & subditis iuramentum remisit. Hoc modo etiam Theodoricus deinceps uixit, & apud omnes Belgas in summa existimatione fuit. Sleid.